

Cap. LXXXXVIII. De impetracione literarum
facta ab alio dominio. Et citacione facta
coram alio dominio de cive.

5 **B**onum esse providimus hoc statuere quod nulla persona
inpetrare debeat literas aliquas ab aliquo domino vel do-
minio de aliquo negotio temporalis, preter quam coram dominio
Tergesti, nisi primo requisiverit ius, scilicet dominio Tergesti,
et sibi fuerit denegatum, et hoc possit // ostendere per pu- 175 B
blica instrumenta. ¶ Et qui contrafecerit solvat comuni unam
10 march. sold. nomine pene, et refitiat expensas illi contra quem
litteras inpetrauerit, et nichilominus ille littere sic inpetrate
sint casse et nullius valoris. ¶ Salvo quod quilibet inpetrare
possit litteras super usuris et contractibus usurariis. ¶ Et
quelibet persona civis vel habitatrix Tergesti, que contraxerit
15 aliquod contractum cum aliquo cive vel habitatore Tergesti
cuiuscunque condicionis existente teneatur et debeat uti iu-
ribus suis coram dominio Tergesti tantum, et non coram alio
dominio, et hoc pena libr. quinquaginta par. pro qualibet per-
sona contrafaciente et vice qualibet contrafacta. ¶ Salvo quod,
20 si qua persona obligata se absentaverit a civitate Tergesti
taliter quod personaliter haberi non poterit, tunc creditor ip-
sius vel volens agere contra ipsum [ipsum] convenire facere
possit ubique locorum.

Cap LXXXXVIII. De feudis inpetrandis. R.ca.

25 **C**onstituimus et ordinamus quod nullus civis Tergesti au-
deat aliquod feudum alicui civi Tergesti investire, sub
pena decem libr. par. tam pro dante quam pro recipiente, ex-
cepta venditione vel donatione feudi. ¶ Omnis tamen fidelitas
facta cum feudo vel sine feudo et promissio sit cassa et nullius
30 valoris, salvis feudis antiquis que cives¹⁾ Tergesti habuerint a
dominis forensibus, de quibus possint investiri cives a civibus.
¶ Et nulla // persona sit ausa laborare vel laborari facere 176 A

¹⁾ Aggiunta marginale.